

**ORATIO PRO A. CLUENTIO
HABITO. AD FIDEM CODICUM
FLORENTINORUM ET
MONACENSIVM, NUNC PRIMUM
COLLATORUM**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649147625

Oratio pro A. Cluentio Habito. Ad fidem codicum Florentinorum et Monacensium, nunc primum collatorum by M. Tulli Cicero & Ioannes Classen

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

M. TULLI CICERO & IOANNES CLASSEN

**ORATIO PRO A. CLUENTIO
HABITO. AD FIDEM CODICUM
FLORENTINORUM ET
MONACENSIVM, NUNC
PRIMUM COLLATORUM**



Presented to the
LIBRARY of the
UNIVERSITY OF TORONTO

FROM THE ESTATE OF
THE LATE MRS. W. E.
BENNETT

cl
F. Benoit. 29 / II, 88.
M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO

A. CLUENTIO HABITO.

AD FIDEM CODICUM FLORENTINORUM ET MONACENSIIUM,
NUNC PRIMUM COLLATORUM, ADDITA ALIORUM MANUSCRIPTORUM
ALIUNDE NOTORUM ET VETERUM EDITIONUM
VARIETATE,

REGENSUIT ET CRITICA ADNOTATIONE
INSTRUXIT

IOANNES CLASSEN

PH. DR.

BONNAE
IMPENSIS ED. WEBERI

M D C C C X X I.

PRAEFATIO.

A. Cluentii defensio iure inter praestantissimas Ciceronis orationes habenda est: nam in ipso aetatis et virium flore conspicitur summus orator, quum causam perquam impeditam et contortam admirabili ingenii sui felicitate facile explicet, et varios locos inter se diversissimos egregia diligentiae aequalitate persequatur, et susceptas patroni partis indefesso animi vigore strenue ubique sustentet. Accedit quod per totam orationem verissima vitae et morum imago proponitur, qua insanabilis morbus, quo post Syllana tempora imperium Romanum manifesto laborabat, oculis nostris detegitur. Quare etsi Cicero ipse (quod haud gravate Quinctiliano testi I. O. II, 17. credimus) tenebras se iudicibus in hac Cluentii causa obfudisse gloriatus sit, stat tamen suus nobilissimae orationi honor, nobisque imminutum manet officium tam praeclari eloquentiae monumenti conservandi et, si fieri possit, expolendi et emendandi. Cuius officii quum aliquam partem et mihi obtigisse laeter, huius operae causam et consilium breviter exponam.

f Oetodecim fere menses sunt, quum *NIEBUHRIUS* (quae est singularis eius erga me benevolentia) ex locupleti suo in multos Ciceronis libros apparatu critico quidquid ad Cluentianam orationem ex Lagomarsinii voluminibus incredibili diligentia Romae collegerat, mihi pertractandum et in usus meos convertendum concessit, monens simul, insignem esse et prae aliis dignam, quae accurate excutiatur, unius codicis per totum libellum lectionis varietatem. Haud dubitanter tam liberalem conditionem accepi meque continuo ad peragendum munus accinxi. Tenebam igitur septemdecim codicum Florentinorum accuratam et integram varietatem, selectam vero quatuordecim veterum editionum. Qua diligenter perlecta et expensa statim intellexi, ut monuerat *NIEBUHRIUS*, unum codicem adeo ante omnis praecellere, ut non solum dubiae fidei locis praestantissimas aliorum MSS. scripturas constanter exhiberet, sed multis locis, qui vulgo sine suspitione legebantur, egregias et insperatas emendationes solus afferret. Iam tum persuasum mihi habebam, duas esse perpetua varietate inter se dissidentes orationis nostrae recensiones, et eam quidem, quae ab imperita manu confecta longe plerisque scriptis exemplis propagata esset, etiam in impressos libros principio transiisse, nec nisi paucis locis postea correctam ad hodiernum usque diem vulgari. Cui sententiae maior fides accessit, quum palimpsestum Taurinensem, venerandae vetustatis volumen, cuius orationum Ciceronianarum fragmenta egregia cura Cl. Peyronius contulit, saepissime cum praestanti codice Florentino consentire viderem, etiam ubi nulla ex ceteris MSS. discrepantia in notitiam venerat, quumque simul animadver-

terem, quidquid bonae frugis vel Lambinus ex suis libris, vel Gulielmus e codice S. Victoris enotaverat, ubique fore in nostro totidem verbis apparere. Sed quum neuter eorum continuam curam, qualem laudabilis recentiorum criticorum usus postulat, in libris conferendis impendisset, nihil magis mihi optandum erat ad firmandam egregii codicis Florentini auctoritatem, quam ut unum alterumve eiusdem praestantiae scriptum librum nanciscerer, cuius perpetuum testimonium aliquid ponderis adiceret in iniqua unius codicis cum innumeris aliis comparatione. Ecce, hoc quoque praeter expectationem mihi obtigit. *NIEBUHRIUS*, qui rationes meas consilio et ope sua fovere et adiuvere non desierat, in Monacensi bibliotheca, si in patria ulla, aliquid auxilii sperari posse suspicabatur. Cogitavit de ipso codice Tegernseeati, an forte recentior inquisitio desideratum hunc per multos annos thesaurum rursus cruisset, et si haec expectatio audacior fuisset, non ignoravit, quam egregia bonarum litterarum adiumenta illic asservarentur. Ipse igitur meo nomine precibus adiit *Thierschium*, virum nescio utrum ob praeclaram animi et morum humanitatem an propter admirabilem doctrinae copiam et elegantiam magis praedicandum, per eumque viros clarissimos, qui regiae Monacensis bibliothecae curam gerunt: a quorum eximia liberalitate statim illud impetravit, ut recensum mitterent et accuratam notitiam cum variae lectionis specimine codicum et veterum editionum, e quibus aliquid fructus ad Cluentianam orationem redundare posset. Viro doctissimo, qui Thierschio petente molestum huius operae laborem suscipere non recusavit, quam maximas gratias publice ago. Quam grato animo quan-

taque laetitia curam hanc commodis nostris impensam excepi, quum unus codex Monacensis, qui Salisburgo in regiam bibliothecam illatus erat, prorsus cum optimo Florentino consentire appareret. Magna igitur apud me huius inspiciendi cupido exorta est, nec frustra concepta. Nam iidem viri clarissimi, quorum liberalitatem iam experti eramus, a *NIEBUHRIO* iterum litteris rogati, omnis, quos expetivimus, tum scriptos tum impressos libros, concedente supremo publicae institutionis in regno Bavarico administrandae consilio, Bonnam transmittere non dubitarunt. Continuo ego accuratam eorum comparationem institui, qua quidem bona spes, quam de Salisburgensi statim conceperam, egregie confirmata est. Nam quum per totam orationem eius varietas cum praestantissimi Florentini scripturis conveniret, ita tamen in rebus minutis ab eo discessit, ut neutrum ex altero fluxisse, sed utrumque ex antiquiore fonte derivatum esse compertum haberem. Quo saepius autem constantem utriusque codicis recensionem perpendebam, eo minus dubitare potui, quin ubique fere vulgatae longe praestaret, et in universum revocanda esset. Hoc consilium nova hac editione sequuti sumus. Et quamquam institutum nostrum se ipsum doctis viris, quorum iudicium magni facimus, probare debet et commendare, haud inutile tamen videtur eas rationes, quibus maxime confidimus, hoc loco proponere.

Primum igitur illud nobis magnam horum codicum fiduciam facit, quod haud raro receptam iam et diu vulgatam scripturam, quam interpretes iampridem unice probarunt, ab iis solis servatam esse videmus, reliquos omnis, quorum

notitiam habemus, in alia omnia abire. Sic enim iure censemus, alios exstare aut olim exstitisse melioris recensiois libros, qui tamen, postquam altera, cuius longe plura exempla inveniuntur, semel in vetustissimas editiones abierat, non nisi vaga observatione inspiciebantur, et urgente necessitate, ubi ceteris subsidiis editores destituti erant, in auxilium vocabantur. Quum igitur iniquo casu factum sit, ut deterior orationis forma, quaeque sacpissime, ubi praestantior ad interpretum cognitionem pervenerat, ab ipsis relicta est, in editionibus nostris praevaleat: consentaneum esse videtur, meliorem formam, sicubi integram eam cognoscere licuerit, restituere. Quae ratio quo facilius intelligatur, in unum locum collegimus partem locorum, quibus vulgata scriptura sola praestantium librorum auctoritate nititur.

Lectio vulgata.

Lectio omnium codicum praeter paucos melioris notae.

- | | |
|---|----------------------------------|
| P. 17, 17. <i>in foro palam multis audientibus</i> | <i>in foro palam audientibus</i> |
| » 34, 7. <i>circumventum esse dicet</i> | <i>circumv. dicit esse</i> |
| » 40, 8. Verba: <i>Nisi forte — — debent</i> , e novissimis editionibus post Gruterum immerito eiecta, non nisi in paucis optimis codd. leguntur. | |
| » 44, 5. <i>inquam</i> | <i>unquam</i> |
| » —, 12. <i>nam etsi</i> | <i>nam si</i> |